

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

PSALMUS¹

CONTRA PARTEM DONATI.

OMNES qui gaudetis de pace, modo verum judicate²,
ABUNDANTIA peccatorum solet fratres conturbare :
Propter hoc Dominus noster voluit nos præmonere ,
Comparans regnum celorum reticulo misso in mare³ ,
Congreganti multos pisces , omne genus , hinc et inde :
Quos cum traxissent ad littus , tunc coeperunt separare ,
Bonos in vasa miserunt , reliquos malos in mare .
Quisquis novit Evangelium , recognoscat cum timore .
Videt reticulum Ecclesiam , videt hoc sæculum mare .
Genus autem mixtum piscis , justus est cum peccatore .
Sæculi finis est littus : tunc est tempus separare .
Quando retia ruperunt , multum dilexerunt mare .
Vasa sunt sedes sanctorum , quo non possunt pervenire .

Repet. Omnes qui gaudetis , etc. ut supra.

BONUS auditor fortasse quærit , qui ruperunt rete ?
Homines multum superbi , qui justos se dicunt esse .
Sic fecerunt scissuram , et altare contra altare .
Diabolo se tradiderunt , cum pugnant de traditione ,

¹ Scriptus circiter finem anni Christi 393. Vide Retract. lib. 1, c. 20. —

² Hyposalma. — ³ Matth. xiii, 43.

Et crimen quod commiserunt, in alios volunt transferre :
 Ipsi tradiderunt libros, et nos audent accusare,
 Ut pejus committant scelus, quam commiserunt et ante.
 Quod¹ possent causam librorum, excusare de timore.
 Quod Petrus Christum negavit², dum terroretur de morte:
 Modo quo pacto excusabunt factum altare contra altare?
 Et pace Christi consissa spem ponunt in homine?
 Quod persecutio non fecit, ipsi fecerunt in pace.

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

Custos noster, Deus magne, tu nos potes liberare.
 A pseudo-prophetis istis, qui nos querunt devorare?
 Maledictum cor lupinum contegunt ovina pelle :
 Qui³ neverunt Scripturas, hos solent circumvenire.
 Audiunt enim tradidores, et nesciunt quod gestum est
 ante.
 Quibus si dicam, probate, non habent quid respondere.
 Suis se dicunt credidisse; dico ego mentitos esse :
 Quia et nos credimus nostris, qui eos dicunt tradidisse.
 Vis nosse qui dicant falsum? qui non sunt in unitate.
 Olim jam causa finita est, quod vos non statis in pace.

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

DIXERUNT majores nostri, et libros fecerunt, inde,
 Qui tunc causam cognoverunt, quod recens possent pro-
 bare.
 Erant quidam tradidores librorum de sancta lege,
 Episcopi de Numidia, et non quilibet de plebe :
 Cum Carthaginem venissent episcopum ordinare,
 Invenerunt Cæcilianum jam ordinatum in sua sede :
 Irati sunt quia ipsi non potuerunt ordinare.

¹ Forte cum. — ² Matth. xxvi, 70. — ³ Deesse videtur negatio, non.

Erant Botrus et¹ Celestius hostes Cæciliano valde,
 Impii, fures, superbi, de quibus longum est referre,
 Junxerunt se simul omnes crimen in illum conflare.
 Dicunt ordinatorem ejus sanctos libros tradidisse.
 Sic pacis retia ruperunt; et errant modo per mare.

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

ECCE quam bonum et quam jucundum fratres in unum
 habitare².
 Audite vocem Prophetæ, ut sitis in unitate.
 Crimen nobis qui probavit antiquam de traditione?
 Quis objecit in judicio? Qui sederunt judicare?
 Quibus testibus convicti? Quis ausus est affirmare?
 Sed hoc libenter finixerunt, quod se neverunt fecisse :
 Quia fama jam loquebatur de librorum traditione ;
 Sed qui fecerant latebant in illa perditione.
 Inde alios infamaverunt, ut se ipsos possent celare.
 Per illos cæteri erraverunt principes ex ipsa parte :
 Quia non credere collegis putaverunt sibi turpe.
 Jam, fratres, finitur³ error, et simus in unitate.

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

FECERUNT quod voluerunt tunc in illa cæcitate :
 Non judices sederunt, non sacerdotes de more,
 Quod solent in magnis causis, congregati judicare :
 Non accusator et reus steterunt in quæstione :
 Non testes, non documentum, quo possent crimen pro-
 bare.
 Sed furor, dolus, tumultus, qui regnant in falsitate.
 Proferantur nobis Gesta quæ in concilio solent esse,
 Videamus quæ res coegerit fieri altare contra altare.

¹ Cælesius ab Optato nominatur in libro contra Parmenianum primo. —

² Psal. cxxxii, 1. — ³ Forte finiatur.

Si malus erat sacerdos, deponendus erat ante :
 Si non poterat deponi, tolerandus intra rete :
 Sicut modo toleratis tam multos malos aperte :
 Et qui fertis pro furore, ferretis unum pro pace.

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

GAUDIUM magnum esset nobis, si tunc nolletis errare :
 Sed si tunc non visum est verum, vel nunc experti videte.
 Multos nunc habetis pravos, qui vobis displicant valde :
 Nec tamen hos separatis a vestra communione.
 Non dico de illis peccatis, quæ potestis et negare :
 Fustes, ignes, mortes dico, quæ committunt vestri in
 luce.
 Et tamen suffertis illos, vel errore, vel timore.
 Quantum erat, ferrent unum patres vestri pro unitate,
 Si tantus erat tumultus, ut non possent degradare.
 Addo quod innocens erat, et nil poterant probare.
 Sed ne crimen quereretur, ubi se videbant esse ;
 Finixerunt se nimis justos, cum totum vellent perturbare.

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

HONORES vanos qui querit, non vult cum Christo reg-
 nare :
 Sicut princeps hujus mali, de cuius vocantur parte.
 Nam Donatus cum volebat Africam totam obtinere,
 Tunc judices transmarinos petuit ab Imperatore :
 Sed haec tam injusta petitio non erat de charitate.
 Hoc ipsa veritas clamat, quam volo modo referre.
 Nam consensit Imperator, misit qui sederent Romæ
 Sacerdotes, qui tunc possent Cæcilianum cum illo au-
 dire.
 Dicta causa est, nil probatum est : ausus est et appel-
 lare ;

Et post collegarum sedem, audire ab Imperatore.
 Hic petitio illa probatur non esse de charitate.
 Deinde ubique victus coepit Christianos rebaptizare.

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

JUSTITIAM sequi si vultis, totam causam cogitate.
 Quod postea fecit, quare factum non est ante ?
 Dissentiebant sacerdotes in tota Africana parte ;
 Sacerdotes transmarini possent inde judicare :
 Quid curritis ad schisma, et altare contra altare ?
 Ut quod postea judicatum est, jam non possetis audire,
 Et a judicibus vestris cogeremini appellare,
 Dum vultis erroris regnum quoquo modo confirmare.
 Et nunc et vos totum nescitis, et fingitis vos nescire :
 Et cum vos veritas urget, patres dicitis errasse,
 Quasi vos aliquis vetet jam recedere ab errore.
 Sed superbia vos ligavit in cathedra pestilentiae.

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

CHARITATEM Christi qui habet, pacem non potest odisse.
 Vel vos jam populi audite, et nobiscum concordate,
 Qui non tenetis cathedram, pro qua pugnetis injuste.
 Si modo episcopi vestri ex una aliqua religione
 Haberent inter se litem, quos velletis judicare,
 Nisi alterarum regionum, qui non essent de ipsa lite,
 Sed eum discussissent causam, pronuntiarent pro una
 parte :

Nunquam communicaretis qui illis nollent consentire.
 Quare ergo consensistis istis qui hoc fecerunt ante ?
 Nam et ipsi non consenserunt transmarinorum sententiæ,
 Qui pro nobis judicarunt : nam nobis junguntur hodie.
 Si judex Christus hoc dicat, quid habetis respondere ?

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

LUMEN cordis si est in vobis, verum potestis videre.
 Sunt Preces Donati et Acta, quibus quod dictum est probate.
 Quæ si credere non vultis, vos huc aliqua proferte,
 Quibus si et nos non credimus, erit rixa sine fine.
 Amplexamur ergo pacem : quid ad nos quod gestum est ante ?
 Objicitis traditionem : respondemus vos fecisse.
 Clamat vos de Macario, et nos de Circumcellione.
 Illud nostrum jam transactum : vestri non cessant usque hodie.
 Habeat paleas area vestra, vos hoc solum vultis esse :
 Vos enim non vultis pacem; illi minantur de fuste.
 Et utinam minarentur, et non tunderent quotidie.
 Hos si expullunt isti, vestri non habent per quos regnare.

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

MODUM si excessit Macarius, conscriptum in Christiana lege,
 Vel legem regis referebat, ut pugnaret pro unitate :
 Non dico istum nihil peccasse, sed vestros pejores esse.
 Quis enim præcepit illis per Africam sic sævire ?
 Non Christus, non Imperator probatur hoc permisso,
 Fustes, et ignes privatos, et insaniam sine lege.
 Quia scriptum est, *Reconde gladium*⁴, scelus non pugnant in fuste.
 Non ut homo moriatur, sed ut conquassetur valde,
 Et postea moriatur, inde jam cruciatus languore.
 Sed tamen si miserentur, occidunt et uno fuste.
 Fustes Israëles vocant, quod dixerunt cum honore.

¹ Matth. xxvi, 52.

Ut plus vastent ipsum nomen, quam corpus quod cædunt inde.

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

NOLITE nobis jam, fratres, tempus Macarii imputare.
 Si crudeles erant illi, et nobis displicent valde :
 Si autem falsa de illis dicunt, Deus potest judicare.
 Nos amemus pacem Christi, gaudeamus in unitate.
 Si qui mali sunt in Ecclesia, nil nobis possunt nocere.
 Si non possunt nobiscum esse, excludantur salva pace :
 Si non poterunt excludi, excludantur vel de corde.
 Dixit Ezechiel sanctus, quosdam consignatos esse¹,
 Qui gemunt peccata fratrum ; et non se separant inde.
 Sic nos propter malos fratres, non separemur a matre.
 Quod tunc impii fecerunt, extra levantes altare,
 Ut pejores nunc haberent, quam quos se fingunt fugisse.

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

OMNIS qui Scripturas legit, novit quod volo aperire.
 Joannes Baptista dixit tunc ad Judeos aperte²,
 Quod illos tanquam aream suam Christus posset ventilare.

Misit in messem operarios Discipulos prædicare³ :
 Per quos area collecta est, et ventilata de cruce.
 Tunc justi tanquam frumentum Ecclesias impleverunt caste,

Videntes quæ possidebant, et mundo dicentes vale.
 Illi tanquam semen erant, quod toto dispersum est orbe⁴,
 Ut alia surgeret messis, quæ ventilanda est in fine.
 Hæc crescit inter zizania, quia sunt hæreses ubique :

¹ Ezech. ix, 4. — ² Matth. xiii, 12. — ³ Id. ix, 37. — ⁴ Id. xiii, 24.

Hujus palea sunt justi, qui non sunt in unitate :
Ex quibus si erat Macarius, nos quid vis rebaptizare?

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

PONE in corde areas duas, ut possis quod dico videre.
Certe et priores habebant sanctos, sicut ostendunt Scripturæ.

Nam et septem millia virorum Deus se dixit reliquisse¹.
Et sacerdotes et reges, multi justi sunt in lege².
Ibi habes tantos Prophetas, habes multos et de plebe.
Dic mihi quis tunc justorum separavit sibi altare?
Multæ scelera admittebat iniquus populus ille,
Idolis sacrificatum est, tot occisi sunt Prophetæ.
Et nemo tamen justorum recessit ab unitate.
Justi injustos sufferebant, venturo ventilatore.
Uno templo miscebantur, sed mixti non erant corde.
Dicebant in illos tanta, et unum habebant altare.

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

QUID vobis ad hæc videtur? Secunda messis Ecclesiæ,
Quæ per totum orbem crescit, plura debet sustinere.
Habet enim Domini exemplum, et in Juda traditore³.
Hunc inter bonos ferebat, hunc misit et prædicare.
Malus servus prædicabat, sed Christus erat in fide.
Quia qui judici credebant, non curabant de præcone.
Quando dedit sanctam coenam, nec tunc illum excludit
inde⁴:

Et posset per illum tradi, etiam si exisset ante.
Sed nobis exemplum datum est malos fratres tolerare,
Ut quando non possunt excludi, solo separemur corde.

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

Rogo, respondete nobis, quid vultis rebaptizare?

¹ 3 Reg. xix, 18. — ² Rom. xi, 4. — ³ Matth. x, 4. — ⁴ Id. xxvi, 25.

Lapsos sacerdotes vestros pellitis a communione :
Et nemo tamen post illos ausus est rebaptizare ;
Et quoscumque baptizarunt, vobis communicant hodie.
Quid ab iis acceperunt, si non habebant quid dare?
Legite quomodo adulteri puniantur in sancta lege.
Non enim dicere possunt, quod peccarunt a timore.
Si sancti soli baptizant, post istos rebaptizate.
Quid calumniamini nobis, quia sumus in unitate,
Qui nondum eramus nati in illa persecutione?
Scriptum est, peccata patrum ad filios non pertinere¹.
Sed nemo dat fructum bonum, si præcisus est de vite².

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

SCITIS Catholica quid sit, et quid sit præcicum a vite.
Si qui sunt inter vos cauti, veniant, vivant in radice,
Antequam nimis arescant, jam liberentur ab igne.
Ideo non rebaptizamus, quod unum signum est in fide :
Non quia vos sanctos videmus, sed solam formam tenere.
Quia ipsam formam habet sarmentum, quod præcicum
est de vite.
Sed quid illi prodest forma, si non vivit de radice?
Venite, fratres, si vultis ut inseramini in vite.
Dolor est cum vos videmus præcisos ita jacere.
Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede³,
Et in ordine illo patrum quis cui successit, videte :
Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum
portæ.

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

TALIS si quis ad te veniat plenus catholica fide,
Quales illos sanctos viros omnes solemus audire.
Et si tibi dicat, frater, quid me vis rebaptizare?

¹ Deut. xxiv, 16. — ² 4 Reg. xiv, 6. — ³ Successio episcoporum in sede
Petri. v epistolam 53. ad Generosum. n. 2.

Quid sit ante factum nescio, nunc autem sum in Christi
fide.
Si me maculat quod nescio, tu qualis sis nunc ostende.
Vultus tuos ecce attendo, ignoro quid sit in corde.
Si me maculat quod nescio, tu me maculas fortasse.
Et si credo esse sanctum, quibus communicas vide.
Si maculat quod nescimus, jam non potes sanctus esse,
Quem maculant tot peccata, quæ committunt vestri oc-
culte:
Si autem quod nescis non curas, nec ego quod factum est
ante.
Et tamen Christianum talem audes rebaptizare.

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

V&E qui pro cathedris vestris sic contenditis injuste.
Clamatis vos solos sanctos, aliud dicitis in corde:
Quia videtis et vos, multos malos abundare ubique:
Numquid dicere potestis: Mixti sumus intra rete?
Respondetur enim vobis, jam vos illud disrupisse.
Neque dicere potestis, paleas vos sustinere:
Iterum enim respondemus, hoc fecissetis et ante.
Non enim pejores erant illo Juda traditore:
Cum quo Apostoli acceperunt primum sacramentum
cœnæ¹,
Cum tanti sceleris reum inter se jam scirent esse²:
Nec tamen hos inquinabant sordes in alieno corde.
Et tamen Christianos fratres audetis rebaptizare.

Repet. Omnes qui gaudetis, etc.

AUDITE, fratres, quod dico, et mihi irasci nolite³:
Quia non sunt falsa quæ auditis, potestis et considerare⁴,
Quid si ipsa nunc Ecclesia vos alloquatur cum pace,

¹ Matth. xxvi, 25. — ² Joan. xiii, 36. — ³ Epilogus. — ⁴ Ecclesiæ ad Donatistas prosopopœia.

Et dicat, O filii mei quid querimini de matre?
Quare me deseruistis jam volo a vobis audire.
Accusatis fratres vestros, et ego laceror valde.
Quando me premebant gentes, multa tuli cum dolore,
Multi me deseruerunt, sed fecerunt in timore:
Vos vero nullus coëgit sic contra me rebellare.
Dicitis mecum vos esse, sed falsum videtis esse.
Ego Catholica dico, et vos de Donati parte.
Jussit me Apostolus pro regibus mundi orare¹:
Vos invidetis quod reges jam sunt in christiana fide.
Si filii estis, quid invidetis, quia auditæ sunt preces meæ²?
Quando enim dona miserunt, noluistis acceptare.
Et oblii estis Prophetas, qui illud prædixerunt ante,
Quod gentium reges magni missuri essent dona Ecclesiæ:
Quæ dona cum respüstis, ostendistis vos non esse:
Et Macarium³ coëgisti suum dolorem vindicare.
Sed ego quid vobis feci, vestra mater in toto orbe?
Expello malos quos possum, quos non possum cogor
ferre:
Fero illos donec sanentur, aut separantur in fine.
Vos me quare dimisistis, et crucior de vestra morte?
Si multum malos odisti, quales habetis videte.
Si et vos toleratis malos, quare non in unitate,
Ubi nemo rebaptizat, nec altare contra altare?
Malos tantos toleratis, sed nulla bona mercede:
Quia quod debetis pro Christo, pro Donato vultis ferre.
Cantamus vobis, fratres, pacem si vultis audire.
Venturus est judex noster, nos damus, exigit ille.

¹ 1 Tim. ii, 2. — ² Psal. lxxi, 10. — ³ Vide Optatum lib. 3.